DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

SISTENS

ICTERI PATHOLOGIAM

QVAM

CONSENSV ET AVCTORITATE

ILLVSTRIS MEDICORVM ORDINIS

IN

ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

PRO

GRADV DOCTORIS

MEDICINAE ET CHIRVRGIAE

RITE OBTINENDO

PVBLICAE CENSVRAE SVBMITTIT

AVCTOR

CASPAR HENNING RIEMANN

OTTERNDORFIO - HADELIENSIS

DIE V. IVL. MDCCXCIII.

GOETTINGAE

LITTERIS BARMEIERIANIS.

PATRI OPTIMO

PETRO HENRICO RIEMANN

CONSVLI OTTERNDORFIENSI

TENTAMEN HOC INAVGVRALE

MOLE TAM EXIGVVM, EX OFFICIO ELABORATVM

OMNI, QVA PAR EST PIETATE

CONSECRAT

FILIVS OBEDIENTISSIMVS

DISSERTATIO

DE

ICTERI PATHOLOGIA

DE ICTERO IN GENERE.

§. I.

Si quando hominem videmus, cuius externus habitus naturalem cum flauo commutauit colorem, ictero laborare, ictericum eſſe illum, dicimus. Intelligimus igitur ſub ictero, cutis vel aliarum corporis partium flauedinem, et quidem a bile illuc diffuſam. Vocatur et alias hic morbus, ſiue ſi mauis, hoc ſymptoma aurigo, morbus regius, arcuatus, de cuius vocis etymologia porro ſollicitum eſſe, neque cum conſilio meo congruum neque operae pretium foret, quum vt notum eſt, hac in re nil certi poni queat. Quae

enim opiniones de vocabuli, a Latinis ex graeca lingua desumti, origine ac significatione exſtant, tam variae sunt, et fabulosae, vt in enarrandis hisce, tum lectorem fatigarem, tum praescriptum tempus inutili modo tererem. Satis eſt, notare, icterum vsitatissimum esse nomen, quo iam omnis aetatis medici ad morbum designandum, vsi sunt.

§. 2.

Complectitur autem icteri nomen, ſtatum illum corporis praeternaturalem, in quo vel singulae partes, vel totum corpus flauedine quadam, orta a bile sanguini inhaerente obducitur, quem plerumque comitantur oculi liuidi, faeces albidae, et vrina obscure rubra. Attamen iſte color flauus non solum in corporis superficie, sed in omnibus etiam liquoribus secretis, alui excretione vtplurimum excepta, fit conspicuus; quin immo casus legimus, vbi ossa *) musculi et capilli **) hoc tincti fuerunt ***); adeps et

coſtae

*) Stoll rat. med. T. III. p. 380.

**) Riedlini lin. med. ann. tert. p. 89.

***) liquidum quod peritonaeum exsudauerat, flauo fuit colore, ita vt digitos tingeret v. Halleri element. physſ. L. XX. Sect. I. §. 2.

costae hoc colore perfusae erant *); Huiusmodi exempla plura colligere supervacaneum est †).

§. 3.

Quamquam veteres medici icterum, (cuius historiam si respicias) quoad symptomata cognouerunt et perspexerunt, dum, id quod horum scripta testantur, flauum cutis colorem in ictericis bilis suffusioni iam tribuerent: tamen de vera morbi indole eiusque ortus ratione notiones sibi formarunt, a vero alienas, et vere fictas. Quod mirum nemini erit. Nam veteres occasionem negligentes, humana secandi cadauera, eaque anatomica arte iniiciendi, nulla ratione viarum notitiam sibi parare poterant, quas recentiores anatomici nobis pararunt; puta vasa sanguifera, lymphatica, et hepatis structuram. Hisce destituti adminiculis ad veram icteri cognitionem acquirendam maxime necessariis, veteres, functiones physiologicas nunquam explicare poterant, nec animo concipere, qua ratione bilis secretio, eiusque reditus ad sanguinem

*) MEAD. monit. et praecept. med. Lond. 1751. Sect. I. Cap. 8.

†) HALLER l. c. L. XXIII. Sect. 3. §. 4. v. SWITEN T. III.

guinem perficiatur. Neque minus fectiones pathologicas omiferunt, res maximi momenti, id quod immortalis Morgagnius in opere fuo demonftrauit. Certo enim inter omnes conftat, artem medicam eo potiffimum tempore quotidianis fere additamentis effe auctam, ex quo hac via fedes effectusque morborum eorumque caufas indagare inciperent medici. Quo factum eft, vt, quae antea obnubilata, tenebrisque quafi inuoluta iacebant, nunc eruta clarius fint et perfpecta. Quae igitur omnia fi refpiciamus, non eft, cur miremur, quod veteres haud accuratiores nobis reliquerint morbi notiones.

§. 4.

Icterum omnes fere, qui fyftemata condiderunt, auctores, morbis cachecticis annumerarunt *). Quem quidem locum, in fyftemate nofologico ei conuenire, neminem dubitaturum fpero, qui caufam eius proximam et bilis in oeconomia animali dignitatem inveftigarit. Ob affimilandi enim facultatem, qua bilis omnes reliquos praecedit liquores inteftinales; ob emolumen-

*) CVLLEN *medicinifche Nofologie* T. 1. p. 390.

lumenta, quae chylificationis negotio adfert, luculenter apparet, defectum huius liquidi in inteſtinis ſanitati detrimento eſſe et corpori noſtro periculum minari.

Et ſi quis cauſam icteri proximam, de qua infra pluribus dicam, et varia quae ab illa pendent, digeſtionis vitia, anorexiam et ſ. p. indaget; ſane exinde intelliget, morbum hunc, ſi diu vexet, veram denique cachexiae ſpeciem certe adducturum eſſe, quoniam humor bilioſus ſanguinem in liquorem quaſi aquoſum reſoluit, id quod inſuper eius cognatio quoque cum aliis morbis cachecticis, hydrope, tympanite, aliiſque ſatis probat, in quos nemque icterus inueteratus plerumque abire ſolet.

Varias icteri diſtinctiones, e. g. in idiopathicum et ſymptomaticum, continuum et periodicum, primarium et ſecundarium omitto. Vnicam tantummodo tangam, qua icterus in flauum et nigrum diſpeſcitur. — Attamen caue ne hunc morbum nigrum cum alio confundas ab hac claſſe prorſus abhorrente; putome laenam ſeu fluxum ſpleneticum, ſub voce morbi nigri plerumque occurrentem. — Scilicet diſtinguunt me-

 dici

dici inter icterum flauum et nigrum, quam distinctionem a coloris varietate petunt, quippe qui ex flauo saepenumero vel in viridem, vel in nigrum prorsus transeat. Quae autem morbi diuisio pathologica, quum neque quoad sedem et causas, neque quoad symptomata, originisque rationem tanta illis intercedat differentia, quanta flagitetur ad peculiarem morbi inde deducendam distinctionem; haec mere arbitraria mihi videtur, neque singulari mentione dignam haberem, nisi propositum mihi fuisset, de icteri causis prolixius atque accuratius agere. Etenim icterus, qui niger cognominatur, flauum plerumque subsequitur, inque eo tantum ab hoc differt, quod vehementiori gradu instet, eiusque curatio maiori laboret difficultate.

Icterus in genere morbus est sporadicus, qui tamen quandoque et epidemice grassari fertur *).

§. 5.

*) v. LENTIN *Beyträge zur A. W.* p. 24. HERLIZ Diss. de ictero speciatim epid. Göttingen. 61. BRUNING de ictero spasmod. infant.

§. 5.

Diagnoſis et Decurſus.

Quoad decurſum, quem nunc perſecuturi ſumus, icterus vario modo ludit. Aliquando enim, licet raro, haud multis prodromis praegreſſis, in aegrotos ſubito impetum facit; aliquando leuiori gradu vexat, ita vt, antequam erumpit, ſigna quaedam praemittat, quae de inſtante morbo certiores nos faciunt. Neque minus modo icterici tolerabili fruuntur valetudine, modo grauiora vrgent ſymptomata, praecipue accedente febre, quae aegrotorum ſtatum ſemper fere dubium ancipitemque reddit.

Prima, quibus detegitur morbus indicia, in oculos incidunt, leuiſſime ſcilicet flaueſcentes, easque faciei regiones, prae reliquis tenuiori obtectas epidermide, quales ſunt palpebrae, tempora, regiones circa narium pinnas et labiorum commiſſuras. Plerique hoc in ſtadio de corporis grauitate et membrorum laſſitudine conqueruntur, coniuncta cum pigritie quadam membra mouendi; per noctem ſomniis vexantur, hinc breuis eſt et inquietus ſomnus e quo parum refecti

exper-

expergiſcuntur. Tenſio et plenitudo hypochondriorum plerumque moleſtiam creat, praecordia cum anxietate comprimuntur, et pectus oppreſſum cum maiori vel minori reſpirandi difficultate coniunctum accedere ſolet.

Increſcente morbo, increſcit quoque flauedo, per vniuerſum corpus nunc ſuffuſa, atque in excretionibus naturalibns magis conſpicua. Quarum ſcilicet color a ſanarum conditione maxime recedens, ſatis ſuperque indicat, omnem humorum maſſam particulis bilioſis prorſus eſſe inquinatam. Vrina enim, ab aegrotis emiſſa, flaua apparet, flauoque ſuo colore vti et ſudor induſia tingit. Neque minus alui obſtructiones, quibus icterici ſunt obnoxii, et faeces albae atque cineritiae bilem abſentem in ſanguinemque effuſam, abunde teſtantur. Neque alia deficiunt ſymptomata, quae ab irritante materia bilioſa in ſanguine accumulata, pendere videntur; nam calorem in pleriſque naturali plus auctum, cum cutis ſiccitate atque pruritu moleſto coniunctum, reperies, aeque ac pulſum etiam ſi nulla adſit febris, paruum plerumque et irritatum, quin ſaepe ad modum irregularem.

Prima-

Primarum porro viarum conditionem ſi intueamur, haſce in morbi decurſu haud minorem quoque mereri attentionem, facile videmus. Nam cum ſecundum naturae leges obſeruemus, materiam morboſam ſemper locum debiliorem petere: idem hoc in morbo eadem ratione perficitur, et particulae bilioſae ſtatim ad tractum inteſtinorum deponuntur, vtpote qui propter hodiernam medendi methodum pars debilior occurrat; ſaburra itaque colligitur, quae tum ad morbum ſuſtentandum, tum ad febrim ſymptomaticam vel progignendam vel augendam plurimum adfert. Linguam hinc in omnibus fere impuram, flauo muco oblinitam, oris amaritiem et appetitum deprauatum vel prorſus deiectum inuenies, quibus omnibus haud raro ſuperueniunt nauſea, vomendi conatus et vomitus ipſe.

§. 6.

Quamquam hiſce ſymptomatibus multa adhuc alia addere poſſem: tamen praecipua tantum et quae morbo maxime familiaria hic exhibui; febrem ſolummodo adiiciam, vt ſymptoma omnium grauiſſimum, ictero frequenter ſociam, quae pro varia corporis et

aeris conſtitutione, pro vario cauſarum concurſu, et ratione indolis ac naturae, maxima gaudet diuerſitate. Simulac enim in ictero hepatitidi ſuccedente, corporis conſtitutio robuſta, ſenſilis, et humorum diatheſis philogiſtica deprehenditur, febris ſemper indolem inflammatoriam induet. Si porro materies morbi primis viis inhaereat, vel in morbi decurſu cacochylia ſit generata, febris ex manifeſtis diuerſae colluuiei ſignis ad vnam alteramue gaſtricarum ſpeciem erit referenda. Nec tandem deficiunt exempla, quae commemorant, febrem intermittentem cum ictero fuiſſe coniunctam; id quod ex numeroſis medicorum obſeruationibus hoc de argumento collectis, ſatis patet. — Attamen reſpiciendum nobis eſt, an febris ſit acuta vel lenta? Si acutam obſeruemus, febris haec cauſis ſupra dictis originem ducit, et icterus plerumque in huius decurſu ſequitur, tamquam febris ſymptoma acuta indole praeditus. Sed ſi febris lenta euadat hectica, icterus morbus primarius cenſendus eſt, quem febris ob ſanguinem deprauatum excipit. Hic ſtatus grauem indicat morbum.

§. 7.

§. 7.

Si in acuto ictero febris per ſtadia ſueta ad diem ſeptimum vel decimum quartum tranſierit, hoc tempore criſes inſtare ſolent, quibus icterus finitur, quaeque pro varia cauſarum ratione admodum ſunt diverſae. Solui in genere icterum ſudore et vrina notum quidem eſt; at multa dantur exempla, quae probant, illum haemorrhoidibus, menſibus, haemorrhagiis narium, diarrhaeis, ſcabie, herpete, effloreſcentiis ſcarlatinoſis atque miliaribus fuiſſe iudicatum; quae quidem criſes praecipue tunc temporis obſervatae ſunt, quando ex retento vel ſuppreſſo haemorrhoidum ſiue menſium fluxu, ex herpete, ſcabie aliisque exanthematibus retrogradis ortum duxerat icterus.

§. 8.

Euacuationibus hiſce criticis, vel hoc vel illo modo abſolutis, mox ſymptomatum inſequitur remiſſio; ceſſant ſubinde pectoris oppreſſio et anxietates circa praecordia, hypochondria dura atque tenſa nunc reſoluta et mollia fiunt, et bilis in inteſtina denuo

 fluit,

fluit, quod excrementa hac tincta probant. Simul vrina sedimentum deponit crassum furfuraceum, cutis color sensim sensimque in naturalem transit, atque his aliisque bonis notis salutaris morbi euentus absoluitur.

Contra vbi nulla signa apparent, quae morbum solutum prodere possunt, vel icterus haud perfecte iudicatur, nullum vel minimum saltem inde exspectandum erit morbi decrementum; e contrario omnia increscunt symptomata, vitae maxime periculosa, accedunt pedum oedemata, graues haemorrhagiae ab humoribus, acrimonia biliosa dissolutis, subortae; affectus soporosi, aliaque funesti ominis signa sub quibus aeger vel repentina morte exspirat, materia biliosa ad cerebrum, fauces, thoracem aliasve partes metastatico modo delata, vel si icterus, virium vitalium vigore non prorsus exstincto, in alios morbos migret, febre plerumque aeger consumitur hectica.

§. 9.

§. 9.

Aetiologia.

Quodcunque ſymptoma, quod in conſpectum venit, ſeparatim ſpectatum, pars praeſentis morbi habendum eſt: vnde apparet, omnium ſymptomatum ab vnica cauſa proficiſcentium confluxum pro toto morbo ſtare. Icterum itaque, ſi ſymptomata in praecedentibus paragraphis recenſita obſerves, morbum praeſentem nominabis, cuius cauſa proxima in bile ipſa ſub cute, vel alia parte effuſa, occaſionales contra et praediſponentes in rebus externis et corporis ſtructura latent. Haſce cauſas ſingulas recenſebo.

I. *Cauſae icteri proëgumenae.*

Quamquam nulla omnino aetas illo immunis reperitur, nullo ſexus ac temperamentorum habito diſcrimine; experientia tamen docemur illum vtplurimum infantes corripere recens natos, homines annoſiores magis ac iuniores, foeminiſque infeſtiorem eſſe ac viris, praeſertim tempore quo ſecundum na-

turae leges fluxus cessat mensium. Cuius phaenomeni causam qui euoluere studeat, forsan reperiet, hanc vitae periodum sexus muliebris generationi calculorum felleorum maxime fauere, quippe qui vt notum est, inter causas icteri occasionales primum sibi vindicant locum.

Ad temperamentorum porro varietatem quod attinet, quibus constat vnum pro altero maiorem ad morbum suppeditare dispositionem: prae omnibus hic negligenda non est constitutio cholerica. Quae quidem cholericorum ad icterum dispositio, quam saluis aliis signis etiam habitus illorum ictericus satis prodit, ponenda esse videtur vel in victus ratione et nimio rerum animalium oleosarum pinguiumque vsu, vtpote quae maiorem materiae phlogisticae, ad bilis secretionem praecipue aptae, quantitatem praebet; vel in peculiari hepatis irritabilitate, (sit venia verbo), qua fit, vt animi affectus, iracundia praesertim, cui tam facile temperamentum cholericum obnoxium est, repente in iecur agere queant.

§. 10.

§. 10.

II. *Caufae icteri procatarcticae.*

Ad praecipuum iam prouenio argumentum, ad caufarum icteri occafionalium indagationem. Omnis nunc in eo verfabitur opera mea, vt oftendam, quae fit illarum agendi ratio. Dignitas huius argumenti inde facile euinci poteft, quod ex illo morbi indoles optime eluceat, qua nitatur omnis curatio.

Triplex autem datur claffis caufarum icteri procatarcticarum generalis.

A) *Spafmus* in hepate frequentiffima caufa.

B) *Vitia* mechanica praecipue in fyftemate biliofo abfque fpafmo.

C) *Vitia* tractus inteftinorum fano hepate. Has caufas fingulas exploraturus fum.

§. 11.

A) *Spafmus* in hepate frequentiffima datur caufa. Summo iure dico frequentiffimam, quippe quae fubinde impedit, quo minus bilis ad locum deftinatum deferri poffit.

Hepar,

Hepar, licet pro ratione eius voluminis, cum aliis viſceribus collatum, non inſigni neruorum apparatu ſit inſtructum: horum tamen nexu cum aliis praecipuiſque corporis partibus tam arcte coniunctum eſt, vt harum altera laeſa, conſenſus ope vtplurimum afficiatur. Vehementes ſtatim deprehendimus effectus conſenſuales, quorum princeps ſe prodit bilis aucta ſecretio, quae vel illius copioſiorem in primas vias effluxum promouet, vel regreſſui in ſanguinem favet. — Quamuis ex hoc hepatis neruorum nexu, quem omnino in toto corpore mutuo conſenſu agentem notamus, pro ſententiae meae veritate haud exiguum deſumere poſſim documentum, haec tamen magis adhuc patebit, cauſis occaſionalibus accuratius perluſtratis; quatenus vel proxime vel conſenſu ſtimuli gratia in totum ſyſtema hepaticum, et quod inde pendet, bilis ſecretionis negotium agant.

§. 12.

De *calculis felleis* primum mentionem hic facturi ſumus, quippe qui ad principem et frequentiſſimam omnium cauſarum occaſionalium referri merentur.

tur. Reperiuntur magno numero in veſicula fellea, eiuſque ductu excretorio, in ductu porro hepatico, minus frequenter in illo qui ex vtroque veſiculari et hepatico coaluit, choledocho. Ex hac ſedis conditione rationes aliquas ſubducere poſſumus, illos vnice mechanico modo agere in ductibus occludendis, et bilis in duodenum deſcenſu impediendo. Etſi quidem icterum hoc modo quandoque oriri poſſe non negem, ſi vel materia glutinoſa, ductuum parietibus firmiter adhaerente, vel tumore quodam adiacente et comprimente, vel induratione cartilaginea etc. iſti ductus plane imperuii reddantur: perſuaſum tamen mihi eſt, hanc cauſam neutiquam in ictero, vbi calculi latent fellei, ſemper locum habere. Etenim inſignis ſeſe extendendi et dilatandi facultas, ſecundum cl. WINTRINGHAMI experimenta omnibus venis ſangviferis pariter ac ductubus biliferis communis, efficit, vt bilis iuxta calculum abſque multis in inteſtina praeterlabi poſſit incommodis; cuius rei veritatem nuper Ill. RICHTER ad cineres vſque a me venerandus, exemplo notatu digno, euidenter demonſtrauit *).

Cal-

*) vid. RICHTER *mediciniſche Bemerkung. Götting. 93. p. 59.*

Calculi igitur fellei, haud ingentis magnitudinis, dum in cyſtide vel ductubus otioſi jaceant, numquam impedimento mechanico icterum, vel alios excitabunt effectus vehementes, quam qui forſan a mole pendeant. Quod cadauerum ſectiones docent, in quibus ſaepiſſime ingens calculorum numerus reperitur, absque vllis viuente aegroto praegreſſis affectibus calculoſis. Aſt ſi cauſa aliqua accedente atque irritante concutiantur, e. g. motu corporis nimis vehementi, animi affectibus in bilem agentibus, vſu medicamentorum irritantium: tunc, dum locum ſuum mutant, altiuſque verſus inteſtina compelluntur, tunicas canalium biliferorum vellicando, hos ſpaſtico modo conſtringunt atque ſic ictero anſam praebent. Icterum vero, qui a calculoſis affectibus prouenit, morbum ſubinde verum eſſe mere ſpaſticum, probant tum regularis periodus, quam affectus calculoſi nonnumquam obſeruare ſolent, et qua fit, vt nouus quilibet icteri inſultus ſemper fere praedici poſſit; tum et ſymptomata, quibus ſtipatus eſt paroxyſmus ipſe; occurrunt enim dolores in epigaſtrio dextro, in regione praeſertim proceſſus enſiformis *), ad hume-

rum

*) Tacconi de raris hepatis morbis Bonon. 40.

rum vſque adſcendentes, coniunctis ſimul cum anxietatibus nauſea, et vomitionibus; quin immo in grauiori caſu et vniuerſum abdomen tumore tympanitico expanditur, aliaque accedunt ſymptomata, ſub quibus aegroti flauescunt. Sententiae denique huic optime etiam reſpondent medicamenta multiplici medicorum experientia comprobata, quae omnia eo nituntur, vt relaxando ſpaſticam ductuum ſoluant conſtrictionem, iiſque dilatandis calculi tranſitum in inteſtina adiuuent.

§. 13.

Inter cauſas occaſionales nominanda nunc venit *inflammatio hepatis*, cuius mali ſymptoma tam conſtans eſſe ſolet icterus, quem inter praecipua quoque hepatitidis diagnoſtica ſigna poſuerint medici. Quamquam permulti icterum hunc ab hepatis inflammati tumore, quo ductus biliferi anguſtarentur, deducendum eſſe putant; tamen conſiderantibus nobis cauſas, hepatitidem omnino inferentes, aeque ac ſymptomata in eius decurſu conſpicua, magis certe conſentaneum erit, ſi huius icteri cauſam in canalium conſtrictione ſpaſtica ponamus, ab irritatione, quam quaelibet in-

flammatio secum coniunctam habet pronatam. Neque mirabimur, vias biliferas hac praeprimis affici, quippe quae loco affecto tam contiguae sint, et partes remotiores irritando in consensum vocari constet, id quod probat singultus et spastica oesophagi affectio, in hepatis inflammationibus numquam fere deficiens.

§. 14.

In argumenti porro, quod amplectimur, fauorem, non alienum quoque erit annotare, icterum cuiuslibet morbi, qui in praeternaturali intestinorum stimulo ab acritatibus cuiuscunque generis orto, consistit, symptoma esse haud infrequens. Quae quidem acrimoniae, etsi valde sint diuersae indolis, vi tamen agendi sua ac ratione, qua icterum inferunt, omnes inter sese conueniunt. Stimulos enim exercent in intestina, qui inde consensus ope ad hepar et ductus eius excretorios delati, hos spasmo constringunt; quarum causarum irritantium praecipuas recensebimus, singulari dignas attentione et accurratis medicorum obseruationibus comprobatas.

Inter materias, acri ſtimulo inteſtina excitantes, bilis ipſa haud infimum tenet locum. Haec enim in humorum numerum referenda eſt, ob ſingularem mixtionem nimis facile in corruptionem vergentium, qua bilis blanditie naturali, quam prae ſe ferunt omnes corporis ſani humores, facile eadem ratione orbatur, illaque priuata acrimoniam ſuſcipit, quae inteſtinorum functiones vario modo turbat, et eorum in contenta actionem vltra modum haud raro ita auget, vt cholerae, diarhoeae et colicae linioſae aliique inde proficiſcantur morbi, quorum ſymptoma frequentiſſimum icterus eſſe ſolet. Quid quod exſtant obſervata, quae clare demonſtrant, effectus a bile acri pendentes iis ſaepenumero fuiſſe conſimiles, qui alias tantum venenorum et medicamentorum draſticorum vſui competant *). Ex quibus omnibus eo facilius intelligi poterit, quo iure bilis vitioſa materiis inteſtinis irritandis icterum concitantibus annumerari hic mereatur.

Cauſae autem bilem acrem reddentes, valde ſunt diuerſae. Climatis conditio et prae omnibus calor

*) Act. med. Haffn. T. III. obſ. 36.

lor nimis vrgens magnam ad mutandum hunc liquorem vim ſibi parare videtur. Vnde deprehendimus, morbos bilioſos in regionibus calidis, ſub zona indiae praeſertim occidentalis torrida ſitis, frequentiſſime obuenientes, quin adeo epidemice graſſantes. Quorum ſunt praecipui cholerae et febres bilioſae; inter quas maxime notatu digna quae ſub flauae nomine *) ab auctoribus commemoratur. Haec acerba febris, dum aeſtus humores diſſoluat, ex materia corrupta primis viis inhaerente originem trahit, cui etiam propter bilis acris ſtimulum icterus ſemper vt ſymptoma ſuperuenit, vnde quoque flauae nomen accepit.

Omnino ſi ortum reſpicias non diſſimilis illi eſt commemoratus icterus, qui ex ingeſtis cruditatibus et venenis aſſumtis originem habet, quocum proxime congruit, niſi quod ſymptomatum gradu, propter cauſas, mitiori modo vellicantes, ab illo differat, dummodo colluuies verminoſa ſeu acida impetum faciat.

§. 15.

*) HYLLARIS obſeruat. on the changes of the air etc. in Iſland of. Barbados. p. 149-50. Linds papers on feuers p. 90

§. 15.

Negligendae quoque non ſunt aliae materiae morboſae irritantes, ex quibus in corpore retentis atque modo metaſtatico ad ſyſtema hepaticum depoſitis icterus ſaepe redundat; iiſque contra expulſis quoque profligatur. Exanthematum et acutorum et chronicorum varia genera huc referri merentur. A materia enim ſcabioſa, herpetica *), effloreſcentiis ſcarlatinoſis miliaribus retrogreſſis vel male tractatis **) icterum enatum et hiſce iterum ad cutim expulſis ſimul euanuiſſe, optimorum medicorum experientia teſtatur, id quod quoque de ictero valet, eriſypelate veſiculari ſoluto, cuius cel. KLEIN mentionem facit ***).

Haud inepte quoque huc pertinet icterus ortus a ſuppreſſis ſuetis excretionibus, ab acrimonia arthritica, rheumatica, ab vlcere antiquo ſanato, de quo narrat exemplum BONETVS ****). Quibus tandem et illum

*) RICHTER l. c. p. 65.

**) STOLL. l. c. p. 389. obſ. XI.

***) Interp. clin. p. 149.

****) Sepulchret ſ. anat pract. L. III. ſect. 16. obſ. 3. T. II. p. 280.

illum addere licebit, qui interdum febres acutas ex metastasi materiae febrilis ad systema hepaticum depositae sequitur, et secundum Hippocratis *) dicta salutarem morbi promittit euentum, si die febris septimo erumpat, malum contra si prius obueniat.

§. 16.

Reliquae icteri causae non minus aptae sunt ad euoluendam morbi indolem. Qui enim in hystericis **), vbi tantam systematis neruosi mobilitatem animaduertimus, frequenter euenit icterus, omnium certe consensu pro morbo spastico declarari debet, cum nulla persaepe occurrat causa materialis, cui adscribi morbus possit; et eadem ratione aliae causae e. g. affectus animi ***) et capitis laesiones in systema hepaticum magnum exserere possunt impetum.

§. 17.

Multa insuper in morbi decursu sese produnt phaenomena, hypochondria tensa et inflata, anxietates

*) Sect. IV. aphor 64.

**) Th. SYDENHAM. opp. vniuers. Cap. IV. Sect. 4.

***) HALLERI element. physs. L. 23. Sect. 3. §. 4. MORGAGNI de sed. et caus. morb. T. II. p. 215. edit. TISSOT.

tates in praecordiis, tuſſis ſicca, artuumque vagi dolores, freqentiſſimi icteri comites. Quae quidem omnia ſingulatim ſpectata tam euidenter cauſam irritantem et morbi genium ſpaſticum ante oculos ponunt, vt alia nemo argumenta exſpectaturus ſit. Accedit quoque regularis interdum periodus a cl. Bang †) in ictero annotata, vbi ne minimum ſeſe obtulit calculorum indicium; neque minus remiſſiones et intermiſſiones obſeruatae ſunt, vnde eluceſcit, ſpaſmum icterum excitare poſſe.

§. 18.

Ne tandem ſilentio praetereamus egregios antiſpaſmodicorum effectus, iterato vſu confirmatos, Ill. Richter ſumma laude infuſum ipecacuanhae, anfractis doſibus propinauit, iunctis ſimul fomentationibus emollientibus ad hepatis regionem applicatis; de Chavx *) opii et aliorum remediorum narcoticorum imprimis laudes extollit, quibus in ictero vſum fuiſſe contendit; Cel. Vogel **) et Bvchan ***) maxime commen-

†) act. Haffn. Vol. I. p. 105.

*) Journal de Medicin. T. 74. p. 209.

**) Pralect. acad. p. 532.

***) *Hausarzneykunſt.*

commendant Decoct. ſem. cannabis, alii *) pro remedio ſpecifico recens vitellum ouorum cum croco orientali, et nuperis temporibus cel. VOGLER **) hanc narcoticorum praeſtantiam argumentis ex propria et multiplici experientia depromtis, confirmauit.

Collectis igitur omnibus, atque inter ſeſe comparatis, quae hactenus de icteri cauſis earumque agendi ratione prolata ſunt, omnino exinde concludere licebit, praecipuam eius cauſam eſſe ſpaſmum, quo hepatis functiones turbantur et varii in bilis circulatione inferuntur motus irregulares, ita vt a ſueto naturae tramite aberret, atque ſanguini, iam ſecreta, iterum admiſceatur.

§. 19.

B) *Vitia mechanica* praecipue in ſyſtemate bilioſo abſque ſpaſmo.

Quamquam in praegreſſis paragraphis demonſtraui, ſpaſmum praecipuam icteri cauſam cenſendam eſſe: tamen vera obſeruantur vitia mechanica, quibus canales bilarii aut ſecretorii aut excretorii plane obſtru-

*) Lanzony in Cohauſen Europ. arcan. med. p. 282.

**) *Von der Gelbſucht.*

obſtruuntur, ita vt vel bilis ſecretio integra vel excretio intercipiatur. Quibus quidem viis obturatis, vera oboritur bilis ſtagnatio in hepate et quaſi regurgitatio in ſanguinem. Harum cauſarum nonnullas indicabo.

1) vera bilis inſpiſſata et viſcida, vias bilioſas obſtruens. Cl. LENTIN *) talem deſcripſit icterum, epidemice graſſantem, quo imprimis homines, humida et pituitoſa cacochymia, et bile viſcida laborantes correpti fuerunt. Iſta Cacochymia ex defectu fructuum horaeorum originem duxerat, et remediis reſoluentibus attenuantibus atque euacuantibus debellata eſt.

2) Scirrhi **) et tubercula varii generis in hepate nata, item abſceſſus et vomicae hepatis clauſae.

3) Grauiditas; vterus enim diſtentus viſcera abdominalia comprimit, liberumque bilis effluxum prohibet.

4) Tumores, oſſificationes, calculi ***), breui, omnes cauſae quae propter molem obſtruendis ductu

 hepa-

*) l. c. p. 24. HVXHAM T. 1. p. 160. *Sammlung auserleſener Abhandlung f. p. A. B. 8. p. 292.*

**) HALLER l. c. STOLL P. I. p. 266.

***) MORGAGNI l. c. T. II. p. 220. ſeq.

hepatico et choledocho impediunt, quo minus bilis in duodenum abire queat.

§. 20.

C) *Vitia tractus* inteſtinorum ſano hepate. Dico ſano hepate, quoniam neque ſpaſmus neque vitium topicum poſtulatur. Errat medicus, qui credat, jecur praeſente ictero ſemper vitio laborare. Quem quidem morbum hepatis vitia ſubinde comitari verum eſt; ſed vt affecto hepate, (quod obſeruationes docuerunt) nullus ſaepe icterus ſequatur: ita vice verſa dantur icterici, vbi ſaluo hepate bilis ſecretio optime admittitur. Nonnulla hic exempla conferam. Si, regnante febre bilioſa, intempeſtiue medicus venaeſectionem inſtituat; icterus flauus ſubinde ſequi ſolet. Quod quidem ſpectaculum hac ratione explicare audeo. Colluuies bilioſa primis viis inhaeret. Venaeſectione nunc inſtituta vaſa ſanguifera exhauriuntur, quo fit vt natura amiſſum ſanguinem reſarcire nitatur. Vaſa lactea, quae ſano corpore maximam fluidorum partem ſanguini edunt, etiam nunc fluida primarum viarum in illum transferre cupiunt, ſed ſimul colluviem

viem biliosam ingerunt, sanguinem inquinant et icterum gignunt. Eodem modo in infantibus neonatis icterus nascitur. Nam foetus hepar magno gaudet volumine, maior itaque bilis copia secernitur. Post partum si diaphragma inter respirationem munere suo fungi incipiat, et hepar cum vesicula fellea concutiat, fortior bilis vis elicitur, et in intestina meconio plena effunditur. Quo quidem obstaculo bilis retenta, vasa lactea intrat, et sanguini aduehitur. Hoc argumentum sectiones pathologicae probant, dum flauus chylus in vasis lacteis et ductu thoracico repertus sit *). Eadem ratione sequitur icterus, obseruato voluulo, hernia incarcerata, et aluo pertinaciter obstructa. Vnde luculenter apparet, icterum oriri posse absque hepatis vitio locali seu spasmo.

§. 21.

III. *Causa proxima.*

Recensitis causis occasionalibus et proëgumenis, respiciendum nobis est, an bilis pro causa stare possit proxima, et qua ratione icterum procreet? Primum

 viae

*) *v. Sammlung auserlesener Abhandlungen f. p. A. B. 8. St. 1. p. 11.*

viae inquirendae ſunt, quibus bilis in ſanguinem effunditur. — At temporis reliqui breuitas vetat, in diſquirendis his longe me commorari, atque omnes hic recenſere opiniones *), iam a Galeno ad noſtram vſque aetatem circa argumentum hoc promulgatas. Idcirco in iis tantum pauliſper inſiſtam, quibus hodie vtuntur medici.

Quae quidem opiniones commode ad diuerſas claſſes redigi poſſunt, quarum prima illam ſequitur ſententiam, quae ſolam reſpicit bilem cyſticam, atque in impedito eius in duodenum deſcenſu praecipuam ponit icteri cauſam, ita vt in veſicula accumulata atque vaſis lymphaticis reſorbta, ſanguini denuo admisceatur. Sed quibus iſta theoria premitur difficultatibus, has omni iure hic omittendas putaui, quippe quae nuperis temporibus tam euidenter ſint demonſtratae **) vt nil habeam quod addere poſſim. Ad alteram igitur tranſeamus ſententiam a cel. MARCARD exſtructam, qua contenditur, bilem in veſicula fellea coacer-

*) quas collegit cel. MARCARD atque recenſuit libro inſcripto: *Medicinische Verſuche.*

**) RICHTER l. c. p. 53.

coaceruatam atque impedimento retentam per poros veſicae inorganicos in cauum abdominis exhalare, hic vaſis recipi abſorbentibus, horumque ope in ſanguinis maſſam iterum reduci, et flauo colore ſanguinem inquinare. Attamen vix credibile videtur, bilem iam in viuo homine in ſuperficiem veſicae et membranas adiacentes exſudare, id quod primum poſt mortem praeterlapſis pluribus diebus contingere tantum ſolet, nec unquam in cadaueribus recentiſſimis annotatur. Obſeruationes praeterea, quibus nititur haecce theoria, omnes fere in funeribus factae ſunt, hinc non aptae, ad haſce cum viuo corpore comparandas. Atque his perpenſis, eſt certe quod dubitemus de hac icteri ortus ratione, quam et ipſe HALLERVS, ſummus hac in re arbiter, non ſtatuit, dicens: hanc viam in viuenti corpore nullo patere humori *):

§. 22.

Sed alia adhuc ſupereſt medicorum ſententia, ſecundum quam ſtatuitur: icterum ex regurgitatione bilis in hepar oriri; quae vel fieri poſſet intercepto ad inteſti-

*) HALLERI Prim. lin. Phyſ. p. 293. §. 632. CRVIKSHANK edit. a LVDWIG p. 10.

inteſtina itinere, vel motu periſtaltico ductuum biliſerorum hepatis inuerſo.

Quod primam attinet rationem, non mirabimur eam a nonnullis in dubium vocari, ſi difficultates intueamus, quas bilis cyſtica, dum verſus hepar adſcendat, ſuperare debet. Enim ex anguſto atque diverſimode curuato ductu veſiculari in ampliorem pelleretur, et neceſſe foret, bilem cyſticam hepaticae affluxum debellare, eandemque motu retrogrado in ſanguinem repellere, id quod bilis cyſtica efficere nequit. Et ponamus, forſam hoc accidere poſſe, ſpero tamen fore, qui omnes in eo mecum conſentiant, vt ad rariſſimas icteri ſpecies hocce referendum ſit.

Alterum quod ſpectat argumentum, ex quo in ſyſtemate bilioſo motus praeſupponitur periſtalticus inverſus, neminem fugiet, eam quoque a multis eſſe impugnatam, quin adeo plane reiectam. Qui tamen nimis audacter agunt, quum haec opinio quid verum prae ſe ferre videatur. Nam antea iam indicaui, icterum praeſertim excitari a ſpaſmo, qui, vt notum eſt, tum varia et explicatu ſaepe difficillima phaenomena mouet, tum etiam id ſingulare habet quod irregularem

hunc

hunc atque inordinatum excitet motum, quo pacto bilis in hepar reuehat, atque ſanguini denuo admiſceat.

§. 23.

Vltima denique et ni fallor optima theoria, ad quam in tanto auctorum diſſenſu confugiamus, poſita eſt in aucta vaſorum lymphaticorum vniuerſi ſyſtematis hepatici actione, a ſtimulo excitata, quorum vi efficitur, vt quae in ſtatu ſano partes tantummodo abſorbere ſolent bilis aquoſas, bilem nunc ipſam et cyſticam et hepaticam, impedimento quodam detentam atque ſaturatam in ſe recipiant, atque vlterius in ſanguinem tranſmittant.

§. 24.

Omnes liquores cuiuslibet etiam generis, in ſanguine tamquam receptaculo communi aſſeruantur, iſque pro quocunque viſcere ſecundum ſecretionis leges, particulas promit, cuilibet liquori adaptatas. Pari modo bilis in hepate formatur, dum ſanguis neceſſarias particulas ad iecur deponat. Quamdiu iſtae particulae in ſanguine diſſipatae circumaguntur,

numquam aſſumere poſſumus, veram dari bilem. Iſtis vero in hepate accumulatis, bilis flaua gignitur. Quibus etiam poſitis, dicere tamen non poſſumus, icterum tunc temporis gignendum eſſe, ſecreta iam bile, eaque rurſus abſorpta, ſed a vero non abhorrere videtur, ſi contendas, icterum oriri poſſe, bile nondum ſecreta, dummodo quaedam harum particularum abundantia in ſanguine obſeruetur, naturam ad illas aliis colatoriis eliminandas cogens. Ponamus aliud exemplum. Ligatis arteriis emulgentibus, vel renibus calculo obturatis, particulae vrinam conſtituentes, in ſanguine ſtagnant, vnde fit, vt alii liquores, perſpirabile cutaneum, ſudor, liquores gaſtrici indolem vrinoſam accipiant *). Verum argumentum, probans alios humores vrinae indolem adſciſſere poſſe, hac nondum ſecreta. Obturatis contra calculo vreteribus, aut veſica in iſchuria nimia vrinae copia diſtenta, omnes reliqui liquores in corpore ſecreti plus odoris accipiunt ingrati et vrinoſi, dum vaſa lymphatica veram vrinam abſorbeant **) Eadem lex eſt in hepa-

*) Halleri elem. phyſ. L. XXVI. Sect. 4. §. 5.

**) Haller l. c. §. 12. Crvikshank edit a Lvdwig in verſione germ. p. 106. Haller l. c. L. XXIII. Sect. 3. §. 4.

pate. Vaſis ſecernentibus ſpasmo obſtructis, ſequitur icterus, quoniam ſanguis particulis bilioſis exonerari nequit. Natura ad nimiam particularum quantitatem euehendam anniſa, hanc partim vrina eiicit, partim modo metaſtatico ad contextum celluloſum et cutim deponit *). Quo fit, vt cutis flauo colore tingatur, et reliqui humores ſecreti eandem aſſumant indolem flauam. Nihilominus veroſimile videtur, icterum etiam oriri poſſe, etiamſi bilis in hepate nondum ſecreta ſit, quoniam particulae bilioſae ad alias partes depoſitae eodem modo inſpiſſantur, quo in hepate et veſicula fellea. Aſt ſi vera bilis iam ſecreta eſt, obſtructis vaſis excretoriis, faciliori via icterus formatur, dum bilis iam concentrata, vaſorum lymphaticorum ope in ſanguinem reuehitur, eundemque inquinat.

Sequitur itaque, bilem non ſtare ſolum pro cauſa proxima, ſed duplici etiam ratione icterum gigni, dum vel ſecreta bilis rurſus abſorbeatur, vel nondum ſecreta in ſanguine detineatur, et in duplici caſu modo metastatico ad alias remotaſque partes deponatur.

 §. 25.

*) HASE de vaſis cutis p. 14.

§. 25.

Reſtat, vt quasdam medicorum opiniones de *ictero nigro* adiungam.

Veteres praecipue medici icteri nigri ſedem lieni eſſe tribuendam cenſebant, et cauſam proximam vel in vero eius defectu, vel in praua quadam conditione collocabant.

At ſumta eſt haec veterum de origine morbi theoria ex erronea atque plane falſa notione, quam de lienis functione et de diuerſa ſanguinis indole et mixtione ſibi formabant Statuerunt enim, ſanguinem lienalem in circuitu per vaſa huius viſceris certam ſubire concoctionem, vt ſcilicet ab atro et melancholico liberaretur humore, ab iis atra bile appellato, cuius receptaculum lienem habuerunt. Quo vel deficiente vel corrupto, ſanguineque hac dicta expurgatione nunc orbato, non poterat, quin humor iſte ater ſanguine retentus, atque circulationis ope per totum corporis habitum ſuffuſus, vniuerſam cutis ſuperficiem atro inquinaret colore, vnde ortus icteri nigri facile apparet *).

At

*) adeant, quorum intereſt, opinionem hanc clarius perſpicere. ZACVT. LVSITANI admir. prax. med. L. III. obſ. 13.

At huic ſententiae nemo vnquam aſſentiri poterit, quippe quae phyſiologiae praeceptis plane contraria ſit. Neque enim cum natura ſanguinis congruit talem nunquam humorem continentis, qualem ſub atrae bilis nomine veteres ſignificarunt; neque anatome ne minimum quidem eiuſmodi demonſtrat receptaculi veſtigium, quo ille fictus humor aſſeruari poſſit. Denique et vſus lienis ex phyſiologia receptus, etſi adhuc ſit dubius, theoriam hanc refutat, qui certe non in eo ponendus eſt, vt ex ſanguine tranſmiſſo partes attrahat noxias a veteribus atras dictas, ſed qui forſan eo redit, vt vaſorum lymphaticorum, per totam eius compagem diſperſorum, ope, ſanguini lienali aquoſas, quibus abundat, particulas detrahat, quo magis condenſatus et phlogiſto impraegnatus, aptior reddaretur, ad bilis praeparationem ſuſtentandam.

Recentioris itaque aetatis medici ab hac opinione, licet communi plurimorum veterum conſenſu ſit ſtabilita, ſecedunt. Quorum autem alii pancreati alii contra hepati ortum adſcribendum eſſe volunt, et ſecundum hanc ſedis diuerſitatem varias conſtituunt

 mor-

morbi ſpecies, quas tamen, quum ad ipſius naturam nil referant, hic plane intactas omittam. Contra meum erit, et indagare et demonſtrare, cuiuſnam indolis ſit morbus, quem icteri nigri nomine conſignamus.

§. 26.

Bilis, ob ſingularem mixtionem ac naturam id proprium habere videtur, quod facile ſtimulo in hepar aut veſicam felleam ope neruorum agente, multifariis tum quoad colorem tum quoad alias, quae ei competunt, qualitates aberrationibus ac viciſſitudinibus ſit obnoxia, vnde peculiares exoriantur functionum eius laeſiones neceſſe eſt. Quarum mutationum cauſae, vtut variae eſſe poſſint, maxime tamen in eo conuenire videntur, vt ſtimuli ope hos obſcuros et explicatu difficillimos exſerant effectus. De modo ac ratione, quomodo ſtimulorum vi bilis mutetur multa diſputarunt medici et concertarunt. Alii enim dixere, cauſam in peculiari bilis reſolutione ab acrimonia ſui generis orta, latere; alii contra in mixtione quadam nullis argumentis explicanda. — Aſt quaecunque ſint, meum hic non eſt, in diuerſas de hoc argumento

pro-

prolatas ſententias inquirere; qui potius tantum in eo acquieſcam, vt paucis demonſtrem, cauſam icteri nigri in pleriſque caſubus ſpaſticae eſſe indolis, et atrum bilis in hoc morbo colorem vti et reliquas ad hoc vsque tempus in bile annotatas coloris varietates, ſingulari ſyſtematis neruoſi irritationi eſſe computandas.

§. 27.

Primum, quo nititur haec ſententia, argumentum, ipſa diuerſorum ſtimulorum natura praebet, quorum quidem vires ad morbum excitandum, explicare non poſſumus, niſi haſce in conſenſuali vel proxima organorum, bilis ſecretioni inſeruientium, irritatione ponamus. Quam quidem cum optime probare videatur, quae a medicis obſeruata et litteris mandata ſunt, ex his tantum, que maxime notatu digna habeo, in medium proferam. Experientia illorum docemur, icterum nigrum ex cauſis quandoque proficiſci immaterialibus, quales ſunt animi affectus graviores, quibus iam omnino ſingularis ineſt facultas hepatis munera vario modo peruertendi; quorum autem agendi in diuerſa corporis organa ratio, vti

etiam

etiam mutationes quas efficere valent, ex effectu ſyſtematis neruoſi diiudicandae ſunt. Neruis igitur impetum facientibus adſcribenda erit icteri nigri cauſa, qui ex ira grauiori excitata, terrore, aliiſque animi pathematibus, etiam breuiſſimo tempore enaſcitur.

Simili quoque modo agunt cauſae ſic dictae materiales; irritando ſcilicet et conſenſualiter afficiendo totum ſyſtema bilioſum. Inter has praecipue hic attingam, quae ad rem meam proprius pertinent, quaeque ita ſunt comparatae, vt ex illis morbi indoles ſpaſtica facile euinci poſſit.

Prima, quae hic nominanda venit, cauſa materialis, eſt colluuies verminoſa *) in inteſtinis coacervata; communis in genere omnium fere affectuum ſpaſmodicorum fons. Vermes enim ob locum quem occupant, qui cum toto corpore in conſenſu eſt, nonſolum topica ſed conſenſualia etiam inferunt ſymptomata. Idcirco varios morbos concitant, ab irritandis neruis pendentes; neque mirum erit, quantam poſſident vim remotiſſimas corporis partes conſenſualiter afficiendi, cum eandem praecipue in vicinas exſerant,

*) v. *Sammlung auserleſener Abhandlung. f. p. A. B. 14. p. 183.*

ſerant, in hepar, renes aliaque viſcera ſecernentia, quorum functiones naturales vario modo, et miris ſub formis turbare poſſunt. Easdem etiam partes ſibi vindicare videtur in ictero nigro generando, colluuies primarum viarum acida: Quem enim cel. Sauvagesivs in infantulo annotauit, huius originis fuiſſe veroſimile eſt, quoniam adhibitis remediis abſorbentibus et antiſpaſmodicis mox euanuit.

Cauſis his hucuſque recenſitis etiam aliae ſubiungendae ſunt, quae licet ab iis ſint diuerſae, conſimiles tamen monſtrarunt effectus. Huc ergo referri obſeruata medicorum merentur, qui morbum, de quo hic verba facimus, ex ſcorpionum ictu *) ex refrigerio ſubitaneo **) corpore antea exaeſtuato proventum fuiſſe teſtantur.

Denique in ſententiae, quam tuemur fauorem allegare poſſumus, nonnumquam in morbi decurſu periodicum quid conſpicuum fuiſſe †).

Nega-

*) M. Donati Hiſt. Med. mirab. L. II. Cap. 9.

**) Fvchs Diſſ. de ruſticor. adfectib. p. 38.

†) Manget Biblioth. med. pract. p. 844.

Negari igitur nequit, bilem ipſam variis ſtimulis poſſe mutari; id quod quoque in aliis morbis videmus, vbi liquor ſecretus peculiarem et a naturali aberrantem indolem accipit.

Prognoſis.

§. 28.

In genere Icterus certe omnis periculi expers iudicandus eſt, qui ex cauſa leui, vt in neonatis ex meconio coaceruato, ex ſaburra bilioſa, ex primarum viarum cruditatibus, colluuie verminoſa ſuboritur, quippe qui medelae conuenienti facile cedit. Grauius contra minatur periculum, ſi proficiſcatur ab inflammatione hepatis, a magna viſcerum abdominalium labe, ſcirrhoſa praecipue hepatis obſtructione, quae tum frequentiſſima hepatitidis ſequela eſt, tum quoque teſtante van Swieten haud raro intempeſtivum corticis vſum ad febres intermittentes debellandas breui poſt inſequitur; grauis quoque eſt ex eadem cauſa et curatu perquam difficilis icterus, qui a ſpirituoſorum abuſu prouenit. Sed exiguam ſpem admittens vel prorſus inſanabilis, ſi ex ductibus biliferis

feris a materia glutinofa occlufis originem ducit, qualem morbum obferuauit Stollius *) qui et icterum lethalem a tuberculo vicinarum partium atheromatofo **) ductum choledochum anguftante, annotauit. Cuius rei diagnofis pari laborat difficultate ac curatio, quum medicamenta efficaciffima in caufa tam infuperabili nil fere praeftare valeant.

Symptomatum porro refpectu, icterus numquam periculofus euadet, qui fimplex eft, neque fymptomatibus ftipatus, quae decurfum eius exitialem reddere poffunt. Omnium horum grauiffimum eft febris, qnam tamen alii falutarem ducunt, fi poft diem feptimum ictero fuperueniat, qua fcilicet hoc tempore icterus quandoque crifeos adinftar foluatur †). — Refpiratio difficilis, anxietates circa praecordia, hypochondriorum tenfio, quamquam communia fint cuiuslibet icteri fymptomata, fummum tamen timere nos iubent periculum, fi diu fouent atque increfcere indies magis incipiunt; malam enim nunc hepatis denotant conditionem

*) l. c. p. 373.

**) l. c. p. 357.

†) *Samlung aufserlefener Abhandlung. f. p. A. B. 14. p. 197. B. 8. p. 234.*

nem, atque icterum in alios morbos, asciten etc. transiturum, vel mortem propinquum indicant. Vt alia taceamus symptomata, quae singula hic enarrare, superuaneacum foret.

THESES.

I. Adstringentia in haemoptysi raro conducunt.

II. Balsamica in phthisi vlcerosa non prosunt; sed nocent.

III. Paracenthesis abdominis in ascite non vltimum, sed primum remedium esse debet.

IV. Prolapsum funiculi vmbilicalis partum retardare, nego.

V. Grauidis magis conuenire videntur euacuantia quam venaesectio.

VI. Efficacia vomitoriorum in morbis minime in sola primarum viarum euacuatione consistit.

VII. Leges sumptuariae, penitus si rem perspicias, plane reprobandae.

VIII. Matrimonia militum adiuuanda.